



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ivlii Cæsaris|| Scaligeri|| Epistolæ|| &|| Orationes||

Scaliger, Julius Caesar

Lugduni Batavorum, 1600

Scaliger Gairardo S. Montalbanum. XXXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70455)

cramentum tam importunæ militiæ, aut conficias prouinciam. sed suspicabamur tibi iam non esse integrum in re desperata. Etenim qui autor fueris antistiti redigendi in ordinem vnumquemque, veteremque licentiam cohibendi, puto ac sane vereor te nunc istis desertoribus atque erronibus parum gratum, ne dicam auctoritatem tuam eleuatam, aut etiam oppressam præuaricatorum peruersitate. Ergo plus feceris, si nihil facias, quam si aut parum pro sententia tua, aut prauè pro dignitate omnium nostrum agas. Nam præterquam quod angit nos quodcunque præter opinionem euenerit, etiam id dolebimus, quod abes amicis tuis, quibus deesse non debuisti. Accinge te officio non excusationi. Nullam enim accipiemus. Vale. x i. Cal. Aprilis.

Tuus Iulius in domino Iesu.

SCALIGER GAIRARDO

s. *Montalbanum.* XXXIX.

VTINAM quantum conuenit inter animi mei propensionem, & merita tua: tantum mihi esset imperii aduersus morbi tui sauitiam, ac potius tyrannidem nullis. ego

K 2

deessem

deessem officiis: nullus mihi deesset successus: adesset tibi secunda valetudo; boni omnes gauderent. Sed ita excellentissimo cuius ingenio contigisse video: ut animi bona maximis infortuniis, cruciatibus, exitiis infestiora facta fuisse videantur. Hæc sunt Fortunæ, Fatique condimenta. Quo tua magis interest te ipsum non deserere, sed animo præsentem esse, ac bene sperare fortiter ferendo: interea dare operam, ut quam minime queat negotio, decidas cum tantis incommodis. Id quod si mea opera fieri possit, intelliges nunquam per me stetisse, quin videris meliore vitæ conditione. Idem nunc est animus, qui tibi ut planius perspiciatur, scripsi ad Vicosium, quid mihi de tota re videatur. Ad Gualterium vero particulatim omnia. De tuis Hendecasyllabis valde te amo. similes enim domini sunt, puri, candidi, elegantes, lepidi, rotundi, numerosi. omnem expleuerunt animum meum. Hem, mihi Gairarde. ten' tantum poetam tam infolenti morbo afflicti: neque id, quod animum tuum diuinitate illustrem fecit, corpus item respexisse? Spero tamen aliquid fore, quo meliuscule tibi sit, imo vero melius. Dedissem ad te aliquid Musarum. sed malui operam seriam referre ad tua commoda, atque

que in eo, quod tibi aliquid boni afferret,
collocare. Vale.

ANDREÆ GOVEANO

GYMNASIARCHÆ

Burdigalensi. XL.

ETSI perspectam habebam humanita-
tem tuam erga eos, qui tuæ fidei com-
mitterentur: tamen non putavi faciundum,
vt quam pietatem in te agnoscerem, in
meipso desiderarem. Mitto maximum na-
tu liberorum meorum ad vos, quorum au-
spiciis te duce atque moderatore euadere
possit is, quem neque in disciplinam ve-
stram me tradidisse, neque vos instituen-
dum suscepisse pœniteat. Ac quanquam
eius indoles maturius me acuere debuit
atq. ipsius cōmodis prospicere, tanta tamen
horum est acerbitas temporum, vt multum
me diuque suspensum animi habuerit: cum
equidem illum malle inter operas triuia-
lium marcescere, quam ire perditū sese at-
que atatem suam per eorum insolentiam
ac prauitatem, quorum ipsum & voluissem
& sperassem futurum aliquando castigato-
rem. Et erat valetudine paulo minus secun-
da, quæ impræsentia facta firmior excitauit

K 3

memo